

fustam & legitimam eius depositionem, seu depositionis declarationem, & alias **p**^d
 ut præferatur. Ita tamen, quod formetur & fiat processus nouus per dictum concilium contra eundem dominum Benedictum iuste & legitime. Ad cuius uerificationem & decisionem, nullatenus habeatur ratio ad processum Pisani concilii uel sententias ibidem latis, ut illo uel illis dictum concilium in modum probationis uel in uita processibus uel iudicari non utatur. Et quod processa, cognita & sententiata per dictum concilium modo prædicto, dicti domini reges & principes & ceteri obedientiæ dicti domini Benedicti, rata & grata habebunt, & illa minime impugnabunt. Item quod cardinales dicti domini Benedicti sic uocati, ut supra in literis conuocatorum dictum uenerint ad dictum concilium, admittantur per idem concilium ad omnes actus ibidem expediendos, & etiam ad electionem futuri summi pontificis suo casu, & secundum quod alij cardinales uocatorum Gregorij & Ioannis admittentur. Et si uocati ut supra non uenerint personaliter ad iam dictum concilium, sed per alias personas sufficiens procuratorum habentes, recipientur & admittentur personæ prædictæ ad omnes actus concilii, prout procuratores dominorum cardinalium dictorum dominorum Ioannis & Gregorij admittentur & recipientur, & secundum quod dictum uniendum concilium circa prædictos omnes cardinales duxerit ordinandum.

Quarto, quod per dictum uniendum concilium, si & in quantum fuerit necessarium uel opportunum ad huberiores cautelam, tollantur, aboleantur, annullentur & irritentur quicunque processus, sententiæ, decreta, ordinationes, statuta & pœnæ, per olim Gregorium & olim Ioannem & suos prædecessores ac per concilium conuocatum Pisani, à tempore exortii schismatis & circa ex occasione uel causa ipsius schismatis facta & facta, prolata contra dominos reges, principes & alios quoscunque obedientiæ dicti domini Benedicti, ac etiam contra quosuis alias personas, quæ dicto Benedicto non adherent post dictam electionem seu depositionis declarationem, & contra quascunque uniuersitates, uillas & loca, quatenus tangat, & tangere possit dictos dominos reges & principes & alios obedientiæ dicti domini Benedicti, & omnia & singula inde secuta, omnem effectum eorum tollendo & omnem maculam siue notam, quæ contracta fuerit ob prædicta. Et idem intelligatur dictum de persona dicti Benedicti, casu quo renunciauerit pure & libere & ante sententias dictæ electionis. Intellecto tamen & declarato, quod dictum concilium non possit se iuuare processibus & sententijs aduersus dictum dominum Benedictum latis in processu & sententia inde ferendis contra eundem dominum Benedictum, de quibus in reterio articulo continetur. Et fiat similiter de sententijs latis per dictum dominum Benedictum contra obedientiam dicti concilii, dominos, reges, principes, personas singulares, uillas, loca, & quod statuatur in prima sessione dicti concilii, tempore quo fiet dicta unio, quod nunquam de cetero ratione uel occasione dicti schismatis aut adhesionis dicti domini Benedicti & sui prædecessoris domini Clementis, possit contra dominos reges, principes, prælatos & alios de obedientia dicti domini Benedicti, qui, quomodolibet procedi in iudicio uel extra.

Quinto, quod per dictum formandum concilium approbentur, laudentur, & confirmentur, & etiam meliori modo quo fieri possit, plenissime firmentur omnes & singulæ concessiones, dispensationes, gratiæ, factæ per dictum dominum Benedictum quibusuis personis dictæ suæ obedientiæ, de quibusuis dignitatibus, archiepiscopantibus, episcopantibus & officijs, & beneficijs alijs quibuscunque infra suam obedientiam, quæ nunc est, de his quæ nunc possident, & quæcunque infeudationes, inuestiturae, contractus & aliæ concessiones, & gratiæ usque in diem primæ requisitionis factæ eidem Benedicto per reges & principes suæ obedientiæ quibusuis personis suæ obedientiæ infra suam obedientiam quæ nunc est etiam secularibus, tam regibus Aragonum, Castellæ, Nauarræ, comitibus Armeniaci, Fuzi, quædam filijs & liberis